

homines videntem, ex aequo deos: non subibit te veneratio eius? Non dices: Ista res major est altiorque, quam ut credi similis huic, in quo est, corpusculo possit? Vis istuc divina descendit.

Animum excellentem, moderatum, omnia tanquam minora transeuntem, quidquid timemus, optamusque ridenter, caelestis potentia agitat. Non potest res tanta sine adminiculo numinis stare.

Credamus itaque Sextio, monstranti pulcherrimum iter, et clamanti: Hac itur ad astra; hac, secundum frugalitatem; hac, secundum temperantiam; hac, secundum fortitudinem. Non sunt dii fastidiosi, non invidi: admittunt, et adscendentibus manum porrigunt. Miraris, hominem ad deos ire? Deus ad homines venit; immo (quod proprius est) in homines venit. Nulla sine deo mens bona est.

2. P. Scipio Africanus nec quidquam prius coepit, quam in cella Jovis diutissime sedisset, quasi divinam mentem acciperet. — Propter ea solitus erat noctis extremo, priusquam dilucularet, in Capitolium ventitare.

Cicero oratione pro Sulla palam praedicat, consilium patriae servandae fuisse injectum sibi a diis, quum Catilina conjurasset adversus eam. — O dii immortales! (yobis enim tribuam, quae vestra sunt: nec vero possum meo tantum ingenio dare, ut tot res, tantas, tam varias, tam repentinae, in illa turbulentissima tempestate reipublicae, mea sponte dispexerim:) vos profecto animum meum tum conservandae patriae cupiditate incendistis: vos me ab omnibus caeteris cogitationibus, ad unam reipublicae salutem convertistis: vos denique in tantis tenebris erroris et inscientiae, clarissimum lumen praetulisti menti meae.

Nihil unquam neque insolens, neque gloriosum, ex ore Timoleontis exiit: qui quidem, quum suas laudes audiret praedicari, nunquam aliud dixit, quam se in ea re maxi-